

Joachim Peter Lehmann

**Dissertatio Epistolica Inqva De Arrha Advocatorvm Disserit, Ac Viro Maxime Reverendo, Præcellentissimo Ac Doctissimo Domino Dn. Johann. Petr. Becker, Liberalivm Artivm Doctori Dignissimo, Favtori Et Cognato Svo Svavissimo, Munvs Archidiaconi Ad Ædem Divi Jacobi Svscipienti, Favsta Qvævis Precatvr**

Rostochii: Typis Johannis Jacobi Adleri, [1746?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100250936X>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1714

Becker, Joh. Petr.















1714


juv

115

*Aufgabe*

DISSERTATIO EPISTOLICA  
IN QVA  
DE ARRHA ADVOCATORVM  
DISSERIT,

AC  
VIRO MAXIME REVERENDO,  
PRÆCELLENTISSIMO AC DO-  
CTISSIMO



DOMINO  
DN. JOHANN. PETR.  
BECKER,

LIBERALIVM ARTIVM DOCTORI DIGNISSIMO,  
FAVTO RI ET COGNATO SVO SVA VISSIMO,

MVNVS  
ARCHIDIACONI AD ÆDEM  
DIVI JACOBI

SVSCIPIENTI,  
FAVSTA QVÆVIS PRECATVR,  
JOACHIM. PETR. LEHMANN,

L. L. C.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS JACOBI ADLERI, SERENISSIMI PRINCIPIS  
& ACADEMIÆ Typographi.

1714



VIR MAXIME REVERENDE,  
PRÆCELLENTISSIME, DOCTIS-  
SIME!



**S**i cuiquam, *Tibi* certe, Optime Beckere, hoc novum decus, *Tibi* ex merito *Tuo* collatum, lubentissime enixissimeque gratulor; quia prævideo, quanta cum cura pariter atque industria illud posthac sis gesturus. Ita enim in academia nostra, medioque doctorum complexu vixisti hactenus, ut inter rariora esses eorum exempla, qui & amarentur ab omnibus, & inter decora maximæ expectationis, quam habet vel ecclesia nostra, vel res litteraria, numerareris. Varius *Tibi* est in omni litteraturæ genere apparatus; nihil pulchræ solidæque scientiæ, quo non intellectum *Tuum* non tinxeris, sed impleveris. Quo acumine in res arduas *Te* immittere, qua iudicii maturitate easdem dissolvere possis, qui *Te* noscunt, haud ignorant. Concessit insuper & Deus *Tibi* rerum sacrarum non proletriam, qualis vulgi est, sed veram & talem, quæ fundamento non lubrico nititur, notam. Ea posthac fide & utilitate, quæ hactenus *Tibi* propria fuit, fere plantas, posteritati profuturas. Deus autem, qui honestis quibusvis laboribus successum largitur, Spiritus sui & auram & auxiliium *Tibi* adspiret, ut fructum non litteraria tantum, sed & sacra respublica ex *Te* capiat abundantissimum. Impleat *Te* supremum Numen, quod pie semper humiliterque colis, divinissimo Spiritu suo, ut id agas strenue, quod ipsi placitum est, & quo cum gloria ipseus, tum veritatis coelestis inter mortales professio  
pura



pura magis magisque atque immaculata promovèatur. Ego autem Vir admodum Reverende a sacerdotis munere, quo *Te* Deus ornatum esse voluit, occasionem arripui *de arrha advocatorum* quædam differendi, cui themati viam sternere libuit præliminari quodam discursu:

Mediorum ad salutem publicæ, ac civium spectantium nomine veniunt arma & leges. Est enim hominum ætas adeo corrupta, ut nisi armis vel legibus coerceretur, omnia cederent rapinis, quinimmo malitia hominum & innocentes perderet. Ea propter adesse debent, quibus constans sit voluntas jus suum cuique tribuendi; Hinc juris desideramus sacerdotes, justum ab injusto ex juris regula secernentes; quorsum & spectat veterum Philosophorum sententia: justitiæ fruendæ causa reges esse constitutos. In omnibus obvenientibus negotiis, sive tranquillitatis sive belli tempora consideres, quæstio omnium est prima: Num quæ fiunt, jure fiant. Fulcra reipublicæ, ad quæ primarium civitatis & status bene esse referri poterit, in principis potestate deprehenduntur, circa quam quatuor præsertim obveniunt diversa: potestas scilicet quæ principi est, alia sacrata, alia legalis; regalis iterum alia, & alia tandem armata, quarum tamen omnis exactissimam juris & justitiæ culturam requirunt. Hinc desiderantur viri, qui sibi exemplum fumant, quod quod dedit studiis indefessis tot seculorum prudens antiquitas. Quo refero omnes juris peritos, Professores, Doctores, quinimmo omnes, quibus data est facultas de jure respondendi, quorum est, ut omnes casus secundum regulas juris & æquitatis decidant, leges ad facta obvenientia rite adplicent, & sensum genuinum earum eruant. Hoc opus, hic labor; pro labore ergo aurum & pretiosa honorum ornamenta illis sunt danda, & principes hoc dudum per leges voluerunt.



Quinimmo familiares sibi & amicos adsciverunt principes, quorum merita ac veram eruditionem perfectam habuerunt; ut adeo intra musarum castra & extra præmiis pensata sit virtus. Diu ergo sunt damnati doctorem dignitatem infringentes. Etenim datur hominum genus, quod juris consultos atro odio prosequitur, sed sine causa. Quodnam enim aliud nomen abs istius modi hominibus juris consultis adpropriatur, quam *Buntmachers, Juristen böse Christen, die denen Leuten unnüt das Geld aus dem Beutel fegen, und sich mit anderer Leute Schaden bereichern.* Sed exclamo: o coeca hominum mens, o pectora coeca! Provoco ad Leonem & Anthemium imperatores, qui eos hoc elogio ornarunt: esse illos qui in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, & generi humano ita prævident, ac si præliis & vulneribus patriam parentesque salvarent (a). In super omnes doctissimorum commentarii sunt pleni, in quibus varia recensentur Doctorum munera, privilegia. Tribunalium adseffores constituuntur & in ornamentis, vestibus, insignibus supra vulgum & in illis etiam supra nobiles eminent, ut taceam prærogativam DD. in litteris principum, cum Doctores vositantur, nobiles autem tuissantur (b). Res ergo est certa, rem sanctissimam esse juris civilis sapientiam, necessariam, laudabilem, sacram Philosophiam, veram, non simulatam, cujus finis utilitas publica & reipublicæ procuratio. O studium igitur juris prudentiæ nobilissimum quod amplissimis decoratur præmiis! o felices eos, qui huic studio nomen profitentur. Sed erant hæc præliminaria, propius accedo ad thema propositum, quod pro viribus mei iudicii, qua potero brevitate pertractabo.

Quæ

(a) l. 14. C. de advocat. divers. Judic.

(b) Stryk de jur. vest. c. 3 n. 43. seq.



Quæ vero in explicatione desiderantur, Tuus Vir admodum Reverende erga me amor addat.

TRACTATIO.

Inter juris peritos dantur homines, qui singulari nomine nominantur advocati, unde & quinam ita dicantur, explicant DD. (a) Meo conceptu hic advocatos nomino eos, qui partibus litigantibus ope & consilio adfunt, jus suppeditant, ac causam rite & legitime deducendo ac proponendo patrocinium præstant (b). Vocem arrha autem quod attinet partim ejus origo valde dubia, partim autem multos admittit significatus varieque in LL. sumitur. Qua originem differunt DD. nec inter se conveniunt. Sunt qui derivant a re, pro qua datur arrha, alii ex græca, alii ex hebraica lingua sensum hujus vocis eruere student (c). Plautus tamen & Terentius, ut & alii hanc vocem tanquam latinam adhibuerunt, quamlibet A: Gellius (d) illam inter sordida numerat. Ejus autem significatio ex legibus ipsis est addiscenda ut & earum interpretibus. Sic enim vocabulum sumitur pro omnibus, quæ negotiis, certitudinis & securitatis gratia accedunt (e) Porro & in legibus nostris pro re quadam, quæ datur in signum contractus perfecti f) Sumitur & a quibusdam pro ipso negotio & arrhæ datione (g), hocque utuntur argumento: cum mutuum, pignus ut & depositum interdum pro ipsa re, quæ mutuo datur, oppignoretur vel deponatur, interdum autem pro ipso accipiatur actu, quo res ex dictis causis traduntur Zæsius (h) etiam arrham

*Def Adv.*

A 3

ita

- (a) in tit. ff. de postul. ut & tit. C. de Advocat.
- (b) l. 6. §. 1. C. de post. l. 11 §. 1. C. de Advoc.
- (c) Borcholt. & Ritters husen ad pr. J. de emt. vend.
- (d) L. 17. c. 2.
- (e) Conf. Ant. Hering. tr. de fidej. c. 18. n. 150. sq.
- (f) Ut in l. 35. pr. ff. de contrah. emt. vend. pr. J. de emt. vend.
- (g) p. pr. J. de emt. vend.
- (h) In Comment. ad ff. tit. de spons. n. 7.



ita definit, quod sit datio &c. Quibus accedit alia significatio, nempe quod denotet aliqualem donationis speciem, quam v. g. facit sponsus sponsæ, vel maritus uxori, quam soluto matrimonio uxor lucretur de quibus omnibus conferri merentur, Molin. (a) ut & Christ. Becman (b). In lingua germanica per *Hafft-Geld, Hafft-Pfennig, Hand-Giff, Ding-Pfennig,* (c) Alii & exprimunt per *Wein-Kauff*, quæ vox autem jam dudum per nummum bibalem est designata (d). Mevius (e) arrham vulgo *den Gottes-Pfennig*, nominat quasi pignus & argumentum contractus, ibique allegat, ex consuetudine arrham ita vocari, quamvis proprie loquendo arrha non esset, interim ab illis, quos penes arbitrium est & jus & norma loquendi ita introductum & esset argumentum jam perfecti vel perficiendi contractus (f)

*arra*  
*def.*

His generaliter adductis me accingo ad specialem explicationem arrhæ, quæ advocato datur, Advocatorum munus honoratum & laudabile esse dicitur passim in pandectarum titulis (g), est enim officium eorum, ut sub initio dixi, ut litigatoribus clientibus suis adsint & eorum desiderium apud judicem exponant, & alterius adversarii scilicet, desiderio contradicant. Ita ergo patrocinia jurgantibus præbere debent, quod verum & justum esse existimaverint, procurent, atque ad id nihil studii reliquum faciant (h) Quare prævaricatores non esse debeant. Poena enim istius prævaricatoris est, ut pro

(a) De just. & jur. Disp. 431.

(b) In tr. de orig. lingu. lat. voce arilator.

(c) Wehner Observ. pract. ead. voc. a verbo *Dingen*, quod significat pacisci.

(d) Besold. delib. jur. Lib. 18. quæst. 16.

(e) ad Jus Lub. P. 3. p. m. 201.

(f) per. l. quod sæpe 35. pr. ff. de contr. emt.

(g) Tit. ff. de post. & de procurat.

(h) vid. Camm *ex Gr. Ordn.* P. 1. tit. 46. it. *Fürstl. Würtemb. Hoff Gr. Ordn.* P. 1. tit. der Advocaten und Advocatordien.



temeritate commiffi extra ordinem puniatur, & decaufa principali denuo cognofceatur (b) Caveat ergo Advocatus ne litem confulto & data opera protrahat atque prolelet. Id quod legum quidam contortores & pecuniarum extortores, togati vultures & pecuniæ accipitres facere audent, tunc habebit gloriam & præmia.

Præmia advocatorum adpellant jura honorarium, falarium, ftipendium, folatium, fummam honorariam et interdum etiam palmarium (c) Qua in re judex ita verfari debet, ut pro modo litis, pro advocati facundia, & fori confuetudine, æftimationem adhibeat. Quin etiam quod litigator libere offert, patronus cauſæ licite accipere poteft (d) Supra tamen aureos centum pro fingulis cauſis accipere non poteft (e) Imperialis autem cameræ advocati laborum fuorum æftimationem a judice expectare jubentur (f) Debetur autem advocato honorarium, non ſolum in caſu reportatæ victoriæ, ſed & quando fuccumbit & vincitur (g) Quinimmo, ſi Martiali fides habenda plus debet amiſſa cauſa advocato, quam ſi victoriam reportarit, victoria enim non minima præmii portio, amiſſio vero cauſæ eſt pudor advocato. Martialis verba male tamen diſtinguentia (a) ita ſonant.

Egi Sexte tuam pactus duo millia cauſam

Miſiſti nummos, quot mihi? mille quid eſt?

Narraſti, nihil inquis & a te perdita cauſa eſt;

Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

Advocatus autem de quota litis haud pacifci poteſt, quin  
immo

(b) p. l. i. §. i. ff. de prævaricat.

(c) l. i. §. in honorariis ff. de var. & extraord. cogn.

(d) per l. nemo 4. C. de poſt.

(e) l. cit. ſicuti cautum 12. ff. de var. & extra ord. cognit.

(f) per ord. Cam. P. 1. tit. 46.

(g) arg. l. ſed an ultro 10. §. i. ff. de neget. geſt.

(a) Libr. 8.



immo etsi tale pactum juratum, tamen nullum est (b) Et quamvis autor citatæ tractationis n. 2. contrarium tradat, relictis tamen aliorum sententiis, de jure civili verum esse puto, quod hujusmodi pacta prohibita, etiam jurata sint invalida, ita ut & cliens ad illius obligationem juste adstringi non possit (c) nec aliud dicendum jure canonico (d) Pari modo etiam haud valet pactum de minima litis parte, quia omnia, quæ de qua cunque litis parte aut re, quantitate vel specie, de qua litigatur, fiunt, ob identitatem rationis prohibitæ censentur (e) atqui pacti de minima quota aut parte litis eadem est ratio (f) Neque ratio Saliceti (g) procedit, cum in quantitatem nulla singularis cadat adfectio (h) Sunt qui putant, quod pactum quo actor centum petens, advocato suo promittit decimam litis partem, illicitum sit, illud vero quo causæ patrono in casum victoriæ decem promittit, valeat, quos allegat Farinac. (i); sed tunc leges verbis, non rebus scriptæ essent. Præterea hac promissione facta omnino verendum, ne legibus fraus fiat (k) Quare & interdum dantur statuta, tale pactum quæ prohibuerunt. Et licet sint DD. istiusmodi pactum admittentes, sunt tamen exosa pacta scribit Vincentius de Franchis (a) & Jac. Bouric

(b) Grav. L. 1. concl. 44. n. 26. Martin Benckendorff ad Seraphin. de Seraphin tr. de privileg. juram privilegio 107. n. 4.

(c) arg. l. 7. § 16. ff. de pact. l. 5. in fin. C. de LL. l. 112 §. ult. ff. de legat. i.

(d) Franzk. Lib. 2. resol. 6. Carpzov. J. P. P. 2. c. 15. def. 1. in fin.

(e) Plotus tr. de jur. jur. in lit. §. 15. n. 9.

(f) Paul. de Castro in l. 5. C. de post. n. 2. ibi. quia est eadem ratio prohibitionis.

(g) ad l. 5. C. de post. n. 3.

(h) Cujac. ad l. 7. ff. de mandat. ibi. namquid refert partem paciscatur, an quantitatem parti parem. nec cum inter pretibus ulla nobis namquam est in hoc constituenda differentia.

(i) Quæst. 106. n. 35. 36.

(k) Brunman. ad l. 5. C. de post.

(a) dec. 265. n. 2. & Jac. Bouric tr. de Adv.



ric scribit: illud adjiciendum existimamus, melius facturos advocatos, si ab hujusmodi pactionibus omnino abstinerint. Vide Ord. Cam. (b) qua advocati jurant quod salarium legitimum pactionibus augere nolint.

Præter salaria autem datur genus redituum quod dicitur arrha, quæ mihi ita audit. quod sit pecunia, quæ advocato a cliente suo datur in signum commendationis causæ commissæ. Arrha in genere spectata, sine respectu ad advocatos, materialiter accepta est res ob evidentiorē negotii gesti probationem data (c), quatenus vero formaliter, uti quidam nominant, pro ipso actu & ejus datione accipitur, eatenus a quibusdam definitur, quod sit contractus verus re initus, accessorius, quo res propria a Domino, alteri cuiuspiam infecuritatem negotii inter eos perfecti vel perficiendi traditur, sub lege amissionis, si dans, vel dupli restitutionis si accipiens ab eo altero invito recesserit. Sed ego nominavi arrham advocatorum pecuniam commendatitiam, ut eo facilius a salari o & honorario discerni possit. Salarium enim iis debetur pro opera & patrocinio, in ejus re munerationem & compensationem, arrha autem ex more sub initio causæ commissæ advocato datur, prius operam & patrocinium præstitit. Et quidem pro admissione prima & ponderatione speciei facti atque collatione juris ad conjiciendum de litis probabili eventum. Negotia alia, quibus arrhæ accedere possunt & solent, sunt e. g. emtio venditio (d) & quæ huic proxima, iisdemque juris regulis consistit, locatio conductio (e). Cujacius (f) negat quidem in locatione haud posse

B in-

(b) P. 1. tit. 62. add. Mehl. Hoff und L. Ger. Ord. Tit. 18. von Advocaten Eyb.

(c) per l. 35. pr. ff. de contrah. emt. vend.

(d) l. 11. §. 6. ff. de act. emt. l. 5. §. 15. de inst. act.

(e) pr. J. de Locat. Conduct.

(f) Libr. 4. obs. 26.



intervenire arrham, sed haud allegat rationes, quin immo contrarium repetitis verbis asserit (a). DD. etiam communiter adfirmative respondent (b), hocque quotidiana docet experientia Juris Lubec. (c) cujus verba sunt: **Wenn einer auf gethanen Kauff, Pact, Miethe oder Dienst den Gottes-Pfenning oder arrham giebet &c.** Idem etiam dicendum esse puto de aliis contractibus consensualibus, puta de mandato, societate &c. Aliisque contractibus arrham in tervenire posse docet Balduinus (d), & quamvis quidem non ex presse in lege reperitur, tamen a non prohibitione hic fiat argumentum concessionis; De arrhis omnium illustrissimis, quæ circa sponsalia dantur non vacat differere, nec opus est, quoniam alii scribenda plene occuparunt. Mea de qua differo arrha datur advocatis & causarum Patronis. Procuratoribus quoque judicialibus & sollicitatoribus ante litem, arrham posse dari non nego, nec illam accipi posse prohibitum. Sed ego uti supra dixi de advocatorum arrha loquor, licet procuratores advocati adpellatione comprehenduntur ut tradit Bouric (a); Quanta autem debeat esse arrha, nec hic est unanimes DD. consensus. Meo judicio distinguo inter arrham quæ honeste accipi possit & eam quæ juste ab advocato exigi possit.

Priori casu omnia dependent a liberali animo clientis quam nam rem dare velit, sive rem mobilem, sive immobilem, vel aurum, vel argentum, quot & quantum. Sunt qui putant hanc donationem non esse debere

(a) in ff. C. tit. de spons.

(b) Harppr. ad pr. J. de emt. & vend. n. 28. Molin Just. & Jur. Disp. 338. n. 3. in fin. Mevius ad J. Lub. L. 3. tit. 6. art. 6.

(c) Tit. 6. art. 6.

(d) ad l. 2. C. quando liceat abemt. reced. n. 6. Molin. de Just. & Jur. Disp. 431. n. 1.

(e) tr. de advoc. c. 2. p. 4. ut & l. 1. §. 11. ff. de extraordin. cognit.



bere excessivam, sed in licita quantitate ex persona donantis æstimandam esse (b). Sed cum pars victrix post litem finitam, fido suo patrono, singularem aliquam gratiam rependere velit, & ex extraordinaria quadam gratitudine, sua sponte, ultra legitimam salarii quantitatem palmarium aliquod, licet non adeo exiguum, offerret & traderet, illud nec legis, nec juris dispositione reprobare videretur (c). Prospiciat tamen advocatus, ne in accipiendo terminos honestatis & liberalitatis transgrediat, sed observet vetus proverbium: neque omnia, neque quovis tempore neque ab omnibus, quod Ulpianus (d) ita vertit: ἕτε παρ' α, ἕτε παρ' ἑτέ, ἕτε παρὰ πάντων. A pauperibus enim, pupillis, viduis & aliis fortunæ miserabilibus personis aliquid pacisci vel appetere velle turpissimum utique foret (e).

Posteriori autem casu habet advocatus jus exigendi arrham, quæ quantum ego ex notoria totius patriæ consuetudine scio communiter consistit in duobus thaleris; Etiam si quis esset, qui recusaret, quin arrham advocato dare vellet, in contradictorio tamen semper a iudice advocato adjudicatur, consequenter fit juris perfecti, vi cujus ad præstandam arrham cliens cogi potest. Nostra Rostochiensis civitatis ordinatio judicialis determinat arrham procuratorum (f) verba ita sonant: Und weil wir denn keine eigentliche Maaß setzen können, wieviel von einem jeden Recess, Supplication, Libell, Exception und andern gerichtlichen Satz-Schriften

B 2

34

(b) Cabedo P. 1. Dec. 19. n. 9.

(c) Molin. de Just. & Jur. Disp. 88. n. 6.

(d) in l. 6. ff. §. 3. de Offic. Proconf.

(e) Joh. Otto Fabor de suffrag. pericop. 4. §. 21.

(f) In P. 1. Tit. 8. Von der Besoldung der Procuratoren.



zu entrichten, so wollen wir, daß keine Parthey von einer Sachen, deren Wehrt unter drey hundert Marck Lübisck ist, mehr denn von einem jeden hundert, ein Marck Lübisck, und da sie sich höher belauffen würde, es sey gleich so hoch es wolle über 3 Marck Lübisck pro arrha zu geben schuldig seyn. En ecce pretium determinatum arrhæ procuratoris. Si autem hoc pretio procurator contentus esse nollet, in sequentibus poena est determinata ob contraventionem sic porro: Wenn der Procurator sich daran nicht begnügen lassen wolte, oder auch ein mehreres fordern würde, er uns dafür zu unnachlässigen Straffe jedesmahl 2 Marck Lübisck zu entrichten schuldig seyn soll. Ejus salarium autem in § 3 determinatur. In inferiori hujus loci judicio arrha procuratorum consistit in 3 assibus, quam ostendit eadem Ordinatio (a) ubi: es sollen die Procuratores des Untergerichts von einer Schuld-Sachen, so unter 5 Marck Lübisck ist, nicht mehr denn 3 Schilling Lübisck pro arrha und zur Besoldung nicht über 8 Schilling Lübisck, oder da die Sache 25 Marck Lübisck und darüber belanget, nicht über 6 Schilling Lübisck pro arrha und ein Marck Lübisck von der ganzen Sachen bey Straffe ein Marck Lübisck, so offte sie dawieder handeln zur Besoldung nehmen. sed distinguenda sunt tempora. De Advocatorum arrha specialis quædam constitutio me fugit. Verum ad specialem quæstionem me accingo & quaero: Num Arrham, a parte adversa in expensas condemnata in moderatione repetere quis queat? quam multi negando respondent. Gailius (b) scribit: quod quidem clien-

(a) P. II Tit. VI. von des Untergerichts Procuratoren Besoldung.  
 (b) Libr. I. obs. 151. n. 1.



clientes soleant esse liberales & interdum advocatis & procuratoribus aliquid arrharum nomine largiter darent; sed & subjicit, quod victores illud a parte victa repetere nequeant, ita enim ejus verba sonant: fuit sæpe quaesitum, an harum expensarum ratio in taxatione habenda sit? conclusum quod non: eo, quod sint delicatae & voluntariae, quarum rationem iudex habere non debet (a). Sed mihi videtur duplicem esse quaestionem in contradictorio 1) Num invitus cliens ad arrhæ dationem possit condemnari? & respondetur omnino, modo quantum arrhæ sit justum ut v. g. hodie est consuetudinis aliquot thalerorum salvo tamen jure causarum intricatiorum. Siquidem arrha datur ea propter, ut advocatus factum assumat & illud secundum juris regulam meditando explicet. Attamen unicuique vellem esse suasor, ut observet illud: accipe dum dolet; ingrati enim dantur clientes, non solum si causa jure disponente est amissa, sed etiam si victoriam reportavit advocatus. Secunda autem quaestio principalis esset 2) num abs adversario condemnato in moderatione expensarum arrha repeti possit? Negantes hanc quaestionem dicunt quod arrha ad expensas voluntarias sit referenda, sed hoc mihi injustum esse videtur, quia firme procedit hoc argumentum: arrham advocato dari pro assumptione facti & adplicationis meditatione ad jus. Obijciunt dissentientes: Victorem ad arrhæ dationem omnino quidem teneri, sed non posse repetere arrham a parte adversa in expensas condemnata; sed & hic respondeo:

B 3

victor

(a) proter text. notab. in l. inter quos §. fin. cum l. seq. ff. de damn. infect. & in l. si servus in fin. de pign. act. text. in l. properandum §. fin. autem ex gristis C. de judicibus &c.



victor debetur indemnis haberi a temerario litigatore, consequenter & propter dationem arrhæ per litem temerariam causatam. Accedit ordinatio tribunalis imperii sueciæ (a) §. 11. bey der Advocaten und Procuratoren Belohnung soll, nebst der ziemlichen arrha so sie empfangen, die tax nach ihren Satz-Schriften und producten von dem Referenten gemacht werden. Addatur Puffendorff (b) qui dicit: quod ad extra judiciales expensas, quas victus victori restituere debet, referantur palmaria & salaria advocatorum & procuratorum; etiam id, si quis instruendæ litis gratia præsto esse cogitur, & § 8. in fin. adducit in terris vicinis Holsatiæ modum istum ad huc vigere, ita ut non solum judicia sportulas, sed ad vocati etiam palmaria sua pro quantitatis ratione in iudicium deductæ, deposcant. Æquum tamen est id demum in retributionem ejus venire cujus jacturam quis ob alterius factum subire necessum habuit, non quod quis sponte erogare voluit. Proinde si quæ fuerint, sive illegitime sive excessive ut DD. loquuntur factæ expensæ, dicemus eas in restitutionem non venire inquit Wesenbec (c): siquidem omnes tales sint, ut vel plane, vel saltem ad eam quantitatem fieri non debuerint. Quænam autem certa & vera expensarum quantitas sit, in universum tradi non potest, sed iudicis arbitrio relinquendum (d) Hoc firmo stare talo, arrham a condemnato in expensas victorem repetere nec ad voluntarias seu

(a) P. 11. Tit. 39. von denen Gerichts-Kosten und Straffen derer so unbetwillig streifen.

(b) In Proc. civil. Elect. Brunsvigo Luneb. Cap. IX. de expensis §. IV.

(c) In Comm. ad l. 15. n. 16. C. de jud.

(d) l. non ignoret C. de fruct. & lit. exp. Nov. 82. C. 10. 82. Menoch. cas. 154. n. 2.



feu delicatas expensas referri posse autumo, meque con-  
fero ad Friedlibii practicam forensam ubi in c. 15. de li-  
tis expensis §. 5. ad voluntarias refert: quid quid ad-  
vocatis præter arrham annumve salarium, aliisque mi-  
nistris, scribis, scilicet Secretariis, Adparitoribus vel eti-  
am testibus dedit, aut nimis delicate in itinere apud ho-  
spites expendit, vel cum equo vectus ad locum judi-  
cii cum per pedes illuc pro suæ personæ qualitate ac  
conditione venire potuisset imo debuisset. Sed ego in  
numerum necessariorum refero arrham. Necessariæ enim  
mihi audiunt eæ, quæ juxta judiciorum morem solitum  
& consuetum factæ sunt, & sine quibus causa expediri  
non potuit (a).

Nec hic plura scribere permittunt fines dissertatio-  
nis epistolicæ, fortasse alia occasione, Deo volente, paulo  
prolixius de hac materia scribendi, erit locus. Interim  
hæc TIBI, Vir admodum Reverende in signum arrhæ a-  
micitiaæ a me sunt dedicata. At frustra hæc omnia nisi TVA  
amicitia, qua & hactenus uti, mihi licitum fuit, jam  
dudum Signum TVI erga me amoris fuisset optimum  
Summum quod terram regit Numen TE ministrum ec-  
clesiæ Iacobeæ elegit, & cum per tubas, tonitrua, phi-  
alas & belluarum cornua ad hierusalem tendere nos o-  
por-teat, tribuat & DEVS TIBI πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύ-  
ψεως, detque ut habeas περὸ σοφίας μὲν ἐστὶν ὁ φθαλμὸς διανοίας. Ar-  
met ille TE suo robore, ut feliciter pugnes contra hy-  
dræ succrescentia capita. Detrahe simulatoribus illis  
larvam, qui Christum potius fictum, quam præsentem  
in pectore habent. Tu tantum memento ἀνασωπυεῖν  
78

(a) per text. in c. pen. in fin. extr. de eo qui mitt. in poss. Afm. c. 3. n. 2.  
ibique DD. alleg.



ἡμεῖς χάρισμα]a tam larga manu in TE collata. TE enim  
 eximium decus suum agnoscit ecclesia, cujus spem, quam  
 de TE concepit, non ales, sed satiabis. TV, quantum in  
 TE est, salutare manus adhibe, & vive divinæ gloriæ  
 & ecclesiæ. Deum supplex venerabor, ut TE Vir Ma-  
 xime Reverende sospitem in quam plurimos annos, vi-  
 vum item ac florentem in gaudium TVI Domini Pa-  
 rentis, Reverendi Ministerii Directoris Inclytissimi, quem  
 & ego parentis instar veneror, conservet, TVOque  
 singulari amore porro frui vehementer etiam  
 atque etiam rogo. Vale ex voto.

TANTVM.

























100 ) 0 ( 100

15

xpensas referri posse autumo, meque con-  
bii practicam forensam ubi in c. 15. de li-  
5. ad voluntarias refert: quid quid ad-  
arrham annumve salarium, aliisque mi-  
scilicet Secretariis, Adparitoribus vel eti-  
dit, aut nimis delicate in itinere apud ho-  
t, vel cum equo vectus ad locum judi-  
pedes illuc pro suæ personæ qualitate ae-  
nre potuisset imo debuisset. Sed ego in  
essarium refero arrham. Necessariæ enim  
æ, quæ juxta judiciorum morem solitum  
factæ sunt, & sine quibus causa expediri

lura scribere permittunt fines dissertatio-  
fortasse alia occasione, Deo volente, paulo  
ac materia scribendi, erit locus. Interim  
admodum Reverende in signum arrhæ a-  
nt dedicata. At frustra hæc omnia nisi TVA  
& hætenus uti, mihi licitum fuit, jam  
n TVI erga me amoris fuisset optimum  
d terram regit Numen TE ministrum ec-  
elegit, & cum per tubas, tonitrua, phi-  
um cornua ad hierusalem tendere nos o-  
& DEVS TIBI πνεύμα σοφίας καὶ ἀποκαλύ-  
ηabeas περὶ τῶν μυστηρίων τοῦ φθαλμοῦ διανοίας. Ar-  
o robore, ut feliciter pugnes contra hy-  
tia capita. Detrahe simulatoribus illis  
hristum potius fictum, quam præsentem  
bent. Tu tantum memento ἀναλωπυρεῖν  
78

pen, in fin, extr, de eo qui mitt. in poss. A fin. c. 3, n. 2,  
leg.